DE ABORTU.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XIV. M. MAJI A. MDCCCXLIX.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

DAVID. GUILELMUS GREULING
RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

F. SCHMEISSER, med. et chir. Cand.
TH. KRETZER, med. et chir. Cand.
J. HOELTZENBEIN, med. et chir. Dr.

BEROLINI,
TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

PARENTIBUS

OPTIMIS DILECTISSIMISQUE

AD CINERES COLENDIS

NEC NON

MAGISTRIS

DE SE MAXIME MERITIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

INTRODUCTIO.

Omnes mulieres, postquam ex coitu foecundo conceperunt, certum per tempus praegnant eoque elapso infantem edunt maturum, quippe qui vitam propriam agere tunc valeat. Hoc temporis momentum secundum solitum naturae ordinem interpositis decem post conceptionem mensibus lunaribus, sive inter hebdomadem tricesimam septimam et quadragesimam contingere consuevit. Talem partum maturum medici obstetricii appellant. De certo atque repentino hujus eventus introitu, nec non de ejus causis multa disputata sunt. Quodsi omnia complectimur, diffiteri nequimus causas partum efficientes ab aeterna naturae lege pendere, cujus indoles hucusque non magis explicari possit, quam aliorum naturae phaenomenorum periodismo obtemperantium, quibus adnumerari queunt, anni temporum vicissitudines, frugum maturatio, insectorum metamorphoses, certorum stadiorum successio in morbis exanthematicis et febribus intermittentibus, crises, alia; periodica omnia generatim explicari non posse, jam dudum philosophi professi sunt.

Ante conceptionis tempus, quo vires uteri vitales nondum

ad polos diversos tendunt, vis contractiva praedominatur, quippe quae per totam uteri substantiam aequabiliter distribuatur. Ineunte demum pubertatis periodo, i. e. inter vitae annum duodecimum ac duodevicesimum (etenim clima, vivendi ratio corporis constitutio etc. multas sistunt differentias) uterus ea imbuitur vita, qua ad concipiendum atque evolvendum foetus opus est, cujus periodi introitus etiam corporis universi mutationibus hanc occultis indicatur. Tunc demum mutuum inter uterum et reliquas corporis partes commercium emergit et praecipue organa sexualia, tam interna quam externa, uteri evoluti dignitatem et potentiam testantur. Ad summum autem vitae fastigium partes genitales mulierum eo tempore evehuntur, quo conceptio, tum graviditas, tandem partus locum habent. Peracta enim foecundatione, uteri expansio adaugetur, quae primum quidem ejus fundum, deinde autem, per majorem ambitum dimanans, totum quoque hujus organi corpus et postremo collum sibi subjicit. Vis contractiva, primum ad polum transversum, ad collum nempe uteri, delata et ad extremum ejus punctum repulsa, repentino quasi impetu ad uteri fundum transilit et hocce momento partus initium significat. Quo facto prior ratio invertitur, maxima enim contractio fundo, maxima expansio autem collo ejus insedet. Tum contractio, magis magisque increscens, ab uteri fundo ad corpus ejus progrediens per intervalla breviora continuo recurrens, diuturnior evadit et interno vigore usque ad partus finem intenditur. Quum hac de re partim physiologi partim medici obstetricii, qui compendia ediderunt, satis multa diseruerint, non plura adjiciam sed propius ad argumentum meum accedam.

Quicunque partus ante terminum supra indicatum contingit, sensu latiore immaturus appellari et pro vario, quo occurrit, tempore in tres varietates dividi potest: in abortum, inde a conceptione usque ad finem mensis lunaris tertii, seu hebdomadis duodecimae; in partum immaturum sensu strictiore, ab initio mensis lunaris quarti usque ad finem mensis septimi, seu hebdomadis vicesimae octavae; denique in partum praematurum, ab initio mensis lunaris octavi usque ad graviditatis hebdomadem tricesimam septimam.

Graecorum scriptores secundum tempus, quo ovum et foetus ex utero egrediebantur, *ἐκβολὴν* et *ἐκτρῶμα* distinxerunt. *Ἐκβολῆς* nomine expulsionem foetus nondum conformati sub forma ovi intra sex primas graviditatis hebdomades significabatur, id quod ex Hippocratis libris patet; *ἐκτρῶμα* autem foetus jam conformati eliminationem usque ad decimam septam graviditatis hebdomadem, vocabant.

Proinde *ἐκβολὴ* abortui, *ἐκτρῶμα* partui immaturo fere respondet. Praeterea Aristoteles (Histor. animal. Lib. VII, cap. 3.) *ἐκθρώσμους* appellandos esse censet illos foetus, qui inde a quadragesimo conceptionis die ejiciuntur; qui vero primis diebus usque ad septimum entruduntur, *ἐκρύσεις*, i. e. effluxiones nuncupat. Nos quidem in ea abortus definitione, quam supra proposuimus, subsistamus i. e. abortum dicamus, si foetus intra primum graviditatis trimestre excluditur utero, quo tempore omnes foetus partes adeo tenerae et imperfectae sunt et corpus totum involucris suis ita adhuc vestitum, ut hisce ablatis vita nullo pacto sustentari queat. Exempla quidem passim innotuerunt, quae foetus bimestres vita jam im-

butos partu editos esse referunt, utrum vero vitam sustinendi facultatem habuerint, non dirimitur, itaque merito dubitandum videtur. Mauriceau e. g. casum vix fide dignum memorat: femina inquit, infantem, duorum mensem, longitudine digiti, vita tam alacri praeditum edidit, ut a sacerdote quodam praesente statim baptismate impertiretur. —

ABORTUS CAUSA.

Mirum quidem, sed nemini ignotum est, partus immaturos, prae ceteris abortus, longe saepius, apud homines quam animalia observari. Duae potissimum sunt causae, quae hancce rem illustrant; primum gressus hominum erectus, quo reliqua animalia destituuntur, deinde periodicum catameniorum profluvium, quod exorta conceptione eum in modum perturbatur, ut facili negotio, praecipue si gravida mulier magna excellit sensibilitate, pathologicae mutationes inducantur foetusque diu ante debitum tempus utero excutiatur. Quodsi in causam proximam inquirimus, scriptores de hac nihil fere opposuisse, fatebimur, quare pauca tantum hic adnotemus.

Frid. Hoffmann (Med. ration. systema. Tom. I.) „quando orificia vasorum uteri, inquit, ex quibus succus nutritiones a villosa placentae substantia recipitur, sanguinis copiosi impetu nimis distenduntur et aperiuntur, fit abortus, qui est contractio uteri convulsiva, foetum ejiciens.“

Fahner (In Starks Archiv für Geburtshülfe Bd. I.) causam proximam abortus iis contineri affirmat, quae uterum

contrastum adeo irritare valeant, ut satis fortiter contrahatur foetumque extrudat.

Schurig in libro satis noto „Embryologia“ haec disserit: „abortus causa proxima latet in utero ipso, quando nimirum ob praeternaturalem ipsius coarctationem, vel etiam nimiam laxationem, foetum diutius retinere non potest. Huic theoriae multi alii suffragantur. Recentioris aeri scriptores, theoriarum venationi minus faventes, proximam causam plerumque silentio praetereunt.

Antequam ad reliquas abortus causas, satis numerosas, animum advertamus, mente reputemus oportet, partus immaturos, maxime abortus, nonnunquam epidemicos occurrere. Frigus intensum, imprimis autem tempestas humido-frigida, nec non aestus inimicissimus, frequentia tonitrua, perinde ac psychicae et somaticae calamitates ut metus, sollicitudo, anxietas, inedia, bellorum turbae et oppidorum obsidiones inter momenta causalia possunt referri, quae abortui epidemico maxime favent. Experientiae testimoniis etiam confirmatur, iis temporibus, quibus morbi asthenici, ut febres typhosae, grassantur, partus immaturos et abortus increbrescere. Beatus Siebold (Handbuch zur Erkenntniss und Heilung der Frauenzimmerkrankheiten Bd. II.) suis observationibus sese edoctum esse scribit, iis annis, quibus fruges intempestivam maturitatem obtinerent, abortum epidemicum saepe occurrere, quo in casu cosmicam causam defendamus oportet. Ad probandam [suam sententiam anni MDCCCXI aestatem in memoriam revocari jubet, quippe qua plurimi fructus ut frumenta, poma uvae praecocem maturitatem impetraverint, imo pulli ante legitimum

tempus ex ovis fuerint exclusi. Eodem anno abortus longe frequentissimi observabantur.

Causa praedisponens partus immaturi sensu latiore in materno corpore etiam emergere solet, si jam saepius ovum ante legitimum tempus utero expulsum est; inter omnes enim constat, mulierem, quae tertio graviditatis mense abortum fecit, eundem saepe eodem alterius graviditatis tempore pati i. e. foetum circa eandem fere gestationis hebdomadem sine ulla causa manifesta secedere. Quod phaenomenon aliis morbis periodicis, ut epilepsiae, febri intermittenti, etiam per certa temporis intervalla recurrentibus, aequiparari potest. Causam hujus rei nec in solis uteri mutationibus organicis e. gr. ulceribus, cicatricibus circa internum ejus parietem ortis, neque in ovi membranarumque residuis, ut nonnulli consuerunt, sed etiam in uteri eonsuetudine, certo tempore sese contrahendi, ponendam existimamus. Altera causa in adaucta systematis nervorum sensibilitate cernitur, quippe qua intempestivae uteri contractiones induci possint. Praesertim huc pertinet plethora universa aut partium sexualium, juncta cum debilitate sic dicta nervosa, vim vitalem uteri excitans, ejusque contractiones ante legitimum tempus efficiens. Habitus etiam gravidarum earumque constitutio maximam merentur attentionem, mulieres enim laxae, tenerae debiles, delicatiore vitae genere emollitae, multo opportuniores sunt ad abortum, quam contraria conditione utentes; maxime haec dicenda sunt de ordinum superiorum feminis, corpus parum exercentibus, vitam potius sedentariam per graviditatis decursum agentibus. Quod jam Hippocrates noverat, haec afferens (Aphorismor. sect. V. 43) quae praeter na-

turam tenues abortiunt, utero non gerunt, priusquam crassescant. Simili ratione F. Hoffmann feminas subtilioris corporis, naturae imbecillioris ac sensibilioris pathematibus hystericis obnoxias, longe ad abortum faciliores et opportuniores esse arbitratur, quam feminas musculosas, duriore fibrarum compage donatas, robustiores, plebejas. Quantus enim illarum quotannis abortientium est numerus, qnam exiguus autem rusticarum, laborioso vitae generi indulgentium. Plura ejusmodi testimonia alii scriptores exhibent. In causis enumerandis omittere non debemus conceptionem eo tempore ortam, quo vel catameniorum profluvium viget, vel brevi antea viguit. Mentio porro facienda est conceptionis inter lochiorum fluxum, aut menses graviditati supervenientes, inprimis initio ejus largius fluentes, utpote qui facile ovum aut foetum expellant. Aliae causae ejusmodi sunt, ut in vasorum systema inimicam efficacitatem exserant, e. gr. quae vitalem hujus systematis actionem praeter modum exaltant, ut aromatica et excitantia potulenta: vinum, spiritus frumenti, sacchari oryzae, infusum coffeae arabicae admodum concentratum; neque minus remedia interna et externa, sanguinem ad uterum congerentia et catameniorum profluvium efficientia, drastica et diuretica calida, ut sabina, aloë, jalapa, myrrha, colocynthides, scammonium, cantharides, dein anthelmintica et emetica, balnea calida, praecipue pediluria irritantia, clysmata excitantia, venena. Ex remediorum antiplasticorum numero maxime hydrargyrum chloratum mite afferendum est, cujus vires abortivas plura exempla confirmant. Attentione dignae etiam sunt psychicae causae; animi pathemata tam excitantia quam deprimentia, totum corpus afficientia et debilitantia, ut iracundia, moe-

ror, sollicitudo, curae, laetitia inopinata; praeterea gravidarum exercitationes vehementiores, ut saltatio, equitatio, cursus, vectura per regiones saxeas, salebrosas. Hippocrates jam innuit, mulieres saltantes abortui obnoxias esse et exemplum affert cantatricis gravidae quae saliendo foetum immaturum excussit.

Inter causas nimiam corporis contentionem efficientes etiam referantur necesse est, clamores ingentes, onerum graviorum elevatio et gestatio, nimii alvum excernendi conatus, singultus, tussis, frequentes et vehementes sternutationes, vomitus, luctationes, convulsiones, ictus aut plagae ventri illatae, lapsus in terram aut durum pavimentum, quibus omnibus musculi abdominis offenduntur. Huc accedunt uteri irritationes, immisso digito effectae, onania, velamentorum ruptura quocunque modo inducta. Morem teterrimum multae mulieres Italicae sequuntur, instrumento singulari, quod embryosphaotis nomine designatur, aut cuspidis ope foetum in utero occidentes. Felix d'Azara Hispanus, non minus detestabilem (Voyages dans l'Amérique méridionale depuis 1782 jusque en 1801. Chap. IV, pag. 100.) mulierum Paraguanensium morem, quippe quae gravidae ventrem infimum aliorum manibus adeo pulsari jubent, ut sanguinis profluvium et cum hoc abortus oriatur. Apud nos etiam eheu! varia abortum efficiendi tentamina instituuntur. Morbi etiam dynamici, ut locales inflammationes, ut encephalitis, pneumonia, gastritis et enteritis, abortus causam suppeditare possunt, aeque ac aliae affectiones morbosae gravidis supervenientes, tam inflammatoriae, quam intermittentes, gastricae biliosae; alvi profluvia, ut dysenteriae ac diarrhoeae copiosae. Jam Hippocrates (Aphorism. sect. V.

55.) haec adnotavit: „quae utero gerentes febribus corripiuntur et valde extenuantur citra manifestam causam, eae difficulter et cum periculo pariunt, aut abortum facientes periclitantur.“ Idem (Aphorism. sect. V. 33.): „mulieri utero gerenti si alvus multum profluat, abortionis periculum est.“ Haud minus huc referendi sunt morbi quidam chronici et organici vel partium genitalium vel pelvis ut epilepsia, chorea st. Viti, aliaeque convulsiones, helminthiasis, lues syphilitica, fluor albus, hysteria, hydrops, polypi, scirrhus, carcinoma uteri, calculi vesicales et renales ad magnam magnitudinem provecti, pelvis deformitates, quas morbus rachiticus saepe infert; non solum autem coarctationes ejus, sed etiam nimia amplitudo. Jam progrediamur ad causam longe frequentissimam, ad efficiendum abortum aptissimam, nempe ad excessum in Venere. Neminem saepe fugit, mulieres libidinosas, coeundi cupidine flagrantes, exorta conceptione saepissime citra ullam causam perspicuam abortire, cujus rei ratio in eo collocanda est, quod excessu illo in Venere partium sexualium vita et functio a debita norma alienantur. Nec quisquam diffitebitur, inter primos graviditatis menses, uteri in pelvim infimam demisso, coitum esse periculosiorem, itaque hoc tempore abortus frequentiores observari. Hoc quidem cum naturae institutionibus in propagandis vegetabilibus consentit, arbores enim et fructices florentes multo majorem fructuum numerum, quam maturationis tempore amittunt. Multi causis gravissimis interponendam esse censent venaesectionem, cui praegnantes citra summam necessitatem submittantur, cujus rei etiam Hippocrates (Aphorism. sect. V. 36.) mentionem fecit: „mulier,

inquit, utero gerens vena secta abortit, idque potissimum si foetus grandior fuerit.“ Nostrates de instituendis venaesectionibus minus solliciti sunt et nos persuasum habemus, operationem hisce sub conditionibus absque ullo metu administrari posse, si gravida aut febre inflammatoria, aut topica inflammatione laborat, aut si magnus plethorae universae aut topicae gradus locum habet. Altera parte multi offeruntur casus, in quibus non sine providentia et circumspectione vena debet incidi. Si ponamus, unoquoque mensium profluvio circiter sex aut septem humoris sanguinolenti uncias excerni et si hisce totam sanguinis, propter menses oppressos in corpore remanentis, copiam addamus, facile nobis patebit, foetum pondere suo sanguinis copiam dictam longe superare. Quae si debito modo reputamus, in aprico collocatur, corpus mulieris praegnantis sanguinis mole multo largiore indigere, quam feminae non gravidae eaque de causa sanguinis detractiones numquam temere instituendas esse. Supra jam adnotavimus, pelvim deformem, maxime quidem debito ampliorem, abortus causam suppeditare posse, nam illo ex fonte iterum profluunt uteri declinationes, inprimis versiones, quae, praesertim si primo graviditatis trimestri occurrunt, triplicis generis sunt et pro uteri situ variant, etenim fundus uteri vel antrorsum spectat, „antroversio,“ vel retroversum „retroversio,“ vel alterutrum latus „versio seu declinatio lateralis.“ Omnium frequentissime occurrit retroversio, quo in casu, dum uteri fundus vel paulatim, vel repente ad ossis sacri concavitatem demittitur, orificium ejus autem versus ossium pubis symphysin adeo assurget, ut parum vel nihil digito explorari queat, scrutatione per

anum instituta tumor prominens in recto intestino deprehenditur. Hanc ob rem fieri solet, ut, quum uteri substantia flectatur et flexione comprimatur, sanguinis circuitus impedimentum experiatur et uterus cum foetu magnae pressioni submittatur, metritis et abortus emergant. Alvi obstipatio et urinae retentio plerumque ex pressione, quam uterus in rectum et vesicam exserit, originem ducunt et, si diutius sustentantur, facile proctitidem et cystitidem inducere possunt. —

Uteri inversio de qua nunc referamus, novam abortus causam praebet atque duplex occurit vel perfecta, vel imperfecta. Interna uteri facies hoc in casu plus minus inversa et in externam mutata reperitur; haud raro uteri inversio conjuncta est cum ejusdem prolapsu.

Pelvis debito amplior, relaxatio ligamentorum uterinorum, polypi majores percussio et pressio abdominis, vomitiones, constrictiones pectoris ope strophiorum, aut ventris ope fasciarum, debilitas et atonia fibrarum uteri ad causas pertinent, uteri inversionem et prolapsum efficientes. Singularem attentionem uteri haemorrhagiae merentur, quippe quas causis abortus gravissimis accensere debeamus.

Si verum est, quod supra memoravimus, venaesectiones intempestive administratas et matri et foetui detrimentum aut periculum inferre, facile est intellectu, damnum atque periculum adaugeri, si organo ad nutriendum foetum necessario haemorrhagia superveniat, quam nullis remediis coercere possimus. Explicatio haec est: uterus, amisso sanguine, quo ad suam ipsius expansionem foetusque nutritionem indiget, contrahitur fructumque expellit. Uteri haemorrhagiae partim

tempore, quo eveniunt, partim sanguinis copia, quae excernitur, partim denique effectu, qui eas sequitur, admodum discrepant. Quum causae etiam, quibus nascuntur variae sint, duplex profluviorum uteri gravidi cruentorum ordo solet discerni, quorum alter intra sanitatis limites consistit, alter vero eos excedit. Nonnumquam inter graviditatem catamenia quoque fluunt, quibus nec mater nec foetus periclitatur. Sin autem sanguinis moles permagna evadit, facile res in discrimen deducitur, id quod jam Hippocrates (Aphorism. sect. V. 60.) confirmat, etenim „si mulieri, inquit, utero gerenti purgationes multae sunt, foetus ut bene valeat, fieri non potest.“ Damniferae illae haemorrhagiae inprimis e ruptura vasorum, sanguinem ab utero ad placentam foetalem deducentium, originem ducunt. Maximam partem primis graviditatis mensibus superveniunt, quibus typus menstruus ad sexuale systema pertinens adhuc majorem potentiam in organismum exserit. Infitias ire nequimus, dispositionem quandam ad illa profluvia nonnumquam in corpore vigere, etenim multae deprehenduntur gravidae, quae, externis injuriis gravissimis tentatae, metrorrhagiis numquam corripiuntur, aliae vero, quae levissimis causis afflictae, violentam sanguinis profusionem experiuntur. Saepe adeo hereditaria dispositio metrorrhagias causatur, nonnullis enim in familiis mater, neptis et proneptis eodem malo tentantur. Jam veteres retulerunt, talem dispositionem praecipue iis inesse mulieribus, quae post novam conceptionem prolem mammis suis nutrire pergant. Occasionales metrorrhagiarum causae diversissimae, nonnumquam adeo contrariae sunt, ut constitutio valida ac robusta, plethora vera, altera parte au-

tem debilitas universa, rigiditas uteri, pubertas male absoluta, graviditas mulierum senescentium, uteri desorganisationes, ut scirrhus, carcinoma, polypi, sarcomata, alii tumores; porro placenta ab utero sejuncta, injuriae externae gravidis illatae, ut plagae, lapsus, ictus electrici. Facile mulieribus venere aut fluore albo debilitatis, maxime primiparis metrorrhagiae superveniunt. Omnium perniocissimae sunt haemorrhagiae occultae propter difficilem diagnosin, sanguis enim non foras profunditur, sed in utero retinetur. Signa consueta sunt: grata caloris sensatio, nec non ponderis, in regione uterina, intumescentia et perspicua ventris inflatio, ita ut uterus non globi solidioris instar supra symphysin ossium pubis sentiatur, porro symptomata magnum debilitatis gradum comitantia, faciei pallor, virium prostratio, vox tenuis, labiorum tremor, oculorum languor, sudores frigidi regionis frontalis, gemitus et oscitatio frequens, pulsuum debilitas, artuum frigus, lipothymicae. At vero non in sola matre, sed etiam in ipso foetu, in placenta et funiculo umbilicali, abortus causae saepe collocandae sunt. Huc omnes pertinent morbi, foetum in utero adgredientes, ut hydrops cerebri, pectoris, abdominis, defectus cerebri, ossium cranii, liquoris amnii, funiculi umbilicalis; contorsiones nodique funiculo umbilicali innexi, convulsiones, polypi cordis, monstrositas, gemelli iisdem ovi membranis inclusi, placentae tumores, nimia crassities, induratio, placenta praevia collo uteri affixa, tunicae ovi crassentes. —

ABORTUS INSTANTIS SIGNA.

Partus immaturus latiore sensu vel subito irruit, vel paullatim accedit, id quod maximam partem a periodo pendet, in qua exoritur. Partus immaturus ad finem usque mensis lunaris tertii eveniens, seu abortus, quem supra nominavimus, semper fere tardius ingreditur propter majorem tunicae uteri deciduae crassitiem et firmiorem ovi conjunctionem cum interno uteri pariete, quare etiam hoc tempore abortus doloribus acerbissimis et haemorrhagiis perniciosissimis conjungi solet. Quo magis graviditas ad finem vergit, eo facilius intrat partus immaturus, quoniam foetus cum utero commercium in dies laxius redditur. Praeterea autem causae considerandae veniunt, utrum magis minusve sint violentae, nam causis praecipue efficitur, ut abortus vel repente vel gradatim procedat. In genere haec symptomata abortum antecedunt: gravitas, languor, horrores, dedolatio totius corporis, praecipue frigus partium genitalium, cui aestus fugax succedit, sensus plenitudinis et oppressionis, nec non insolita ventris tensio cum doloribus inimicissimis regionis inguinalis atque lumbaris, cephalalgia molestissima, vertigo intercurrens, lipothimiae, agrypnia, somnia terrentia, facies pallida, oculi turbidi, nonnumquam lividis annulis cincti, lingua muco obducta, oris halitus foetidus, mammarum amplitudo diminuta. Accedit saepe vesicae urinariae pressio indeque perpetua mingendi cupiditas. Interna exploratio ortis lege instituta nobis persuadet, uteri portionem vaginalem solito magis descendisse. Aliquanto post dolores irruunt conquassantes, internum uteri os amplificatur, ovi tunicae, vel adeo partes

quaedam foetales, probe sentiuntur. Tum vel effusio liquoris amnii, vel mucosi laticis, interdum gravem foetidumque odorem exhalantis, vel, quod pessimi ominis esse solet, sanguinis ex utero stillicidium, quod postea in metrorrhagiam exquisitam abire potest, exoritur, semperque fere lethiferum infert exitum. Nonnnllae tamen mulieres, ad abortum maxime opportunae, sine praeviis symptomatibus modo relatis abortiunt.

PRAEDICTIO.

Abortum generatim majore periculo conjunctum esse, quam partum naturalem, non modo omnibus notum, sed etiam facile explicatu est. Quo saepius mulier abortum facit, eo major ad hunc opportunitas redditur et quo saepius revertitur eo facilius cachexia corporis, sterilitas mensium anomaliae, fluor albus, hysterismus, uteri ulcera, excrescentiae fungosae, carcinoma, hydrops, prolapsus, melancholia, mania, mors subsequuntur. Abortus sensu strictiore numquam non periculi plurimum affert, nam largiores haemorrhagiae plerumque foetus secessum comitantur, idem abortus perniciosior est primiparis, quam multiparis. Quod ad causas attinet, ex plethora oriundus prognosin laetitiorem admittit, quam ex debilitate aut febre intermittente praegressa. Multis in casibus abortus inevitabilis est, c. gr. si externae violentiae praegnantem graviter ostenderunt, si uteri os patet, si placenta cum ovo jam soluta foetusque defunctus est. Vitia fabricae uteri, ut cicatrices, resi-

dua tunicarum ovi, aeque ac pelvis deformitates prognosin pessimum reddunt. Merito periculosus quoque habetur abortus cum metrorrhagia, cujus causam pellentia medicamenta suppeditarunt, etenim sanguis largius proruens impedit, quominus abortus caveatur. Pejor quam externa uteri haemorrhagia est occulta, pessima, si convulsiones accedunt. Auctore Hippocrate (Aphorism. sect. V. 29) pereunt matres abortientes, quae morbo quolibet acuto decumbunt: „muliebrem utero gerentem morbo quopiam acuto corripi, lethale.“ Ut plurimum abortus eodem graviditatis tempore, quo semel aut saepius intravit, revertitur, quod saepissime tertio graviditatis mense circa illud tempus, quo catamenia fluere antea solebant, accidit. Dispositio ad abortum jam per se infaustum reddit praesagium, multo autem magis, si hereditaria est.

CURANDI PRAECEPTA NONNULLA.

Tria potissimum nobis facienda sunt: abortui occurendum, si metus exstat, ne praegnanti superveniat; periculum cum abortu junctum auferendum, reversionibus obnitendum, priusquam mulier iterum concipit. Quod ad primum attinet, mulieri imperetur corporis animique tranquillitas, situs horizontalis vel in lecto vel toro; vitetur coitus eo tempore, quo menses ante conceptionem fluere solebant, inprimis autem eo, quo abortus tam prius intravit. Si corporis constitutio admodum plethorica et irritabilis est, metuere oportet, ne haec abortus causam

sistat, quare vitanda sunt, quaecunque vasorum actionem et sanguinis orgasmum adaugent. Ubi vasorum actio violenta, pulsus plenus et duriusculus, facies et genae rubrae inveniuntur, venam incidere licet; necessitas quoque obtingere potest, quaternis hebdomadibus mediocrem sanguinis portionem mittendi; praeterea victus refrigerans, antiphlogisticus requiritur. Si abortus ex debilitate systematis reproductivi, qua foetus vis vitalis frangitur, imminet, in usum vocanda sunt, quae reproductionem instaurant, ut victus nutriens, medicamenta amara et amaro-aromatica. Prosunt etiam leves corporis exercitationes animique exhilarationes. Quodsi partus immaturus propter pubertatem nondum probe absolutam, vel exiguam gravidae evolutionem prius locum habuit, artis auxiliis parum proficitur. Inprimis quies et longe a Venere abstinentia commendandae sunt, donec corpus debitam evolutionem et firmitatem impetraverit. Prolapsus aut retroversio uteri cautissimam postulant curationem. Ad tollendum prolapsum vitanda sunt pessaria, quia pressio gravidis est inimica; quies et situs horizontalis, pulvinari natibus subdito, plerumque sufficiunt; aut spongia mollis ad stabiliendum uterum. Si prolapsus uterus nec inflammatus nec tumefactus est, manu suspensa repositionem experiri licet. Uteri retroversione exorta, situs corporis lateralis et crebra alvi urinaeque dejectio praecipiatur, nec non spongia mollis ut in prolapsu, adhibeatur. Urinam evacuandi methodus variat, plerumque tamen cathetere utendum est. Repositio artis lege perficiatur.

Quodsi abortus jam coepit, os uteri paululum tantum patet, aquae nondum defluxerunt, foetusque vivus est, interdum

caveri potest, ne ille perficiatur. Omnium maxime necessaria est quies, reliqua ad universam mulieres conditionem accommodanda sunt, plethora enim et diathesis inflammatoria apparatum antiphlogisticum aut temperantem, constitutio autem debilis, viriumque languor, nervina tonica et roborantia, interdum analeptica remedia adhiberi jubent. Interdum sensibilitas tanta est, ut dolores vehementissimi, convulsiones, spasmi omnis generis exoriantur, quibus fit, ut opium, castoreum, valeriana, asa foetida, similia in usum vocari debeant. Si causa abortus in ipso foetu, nempe in morbis aut ejus ipsius aut velamentorum, cernitur, res naturae committenda ovique exclusio sublevanda est. Primum attentionis metrorrhagia desiderat, quae, nisi feminam nimia sanguinis effusi portione exhausit, venaesectione, salibus antiphlogisticis, acidis vegetabilibus inhibenda est simulque aqua frigida sola, vel aceto temperato, per vaginam immittenda. Sin sanguinis largior profusio astheniam universalem induxit, excitantia, roborantia, adstringentia, ut tinctura cinnamomi, acidum phosphoricum, ratanhia cum alumine, mixtura sulphurica acida, interne praebeantur, externe fomenta mediocriter calida ex infuso florum chamomillae imponantur infimo ventri.

Ad cavendas denique abortus reversiones, morbosam corporis indolem indagare et normalem restituere oportet. Mulieribus suadendum est, ut, quo tempore catamenia vel iminent, vel modo fluxerunt, a coitu abstineant. Vitae genus corporis constitutioni probe adaptetur itaque aut refrigerans sit victus, aut nutriens et roborans, semper vero eupeptus. Medicamenta iis respondeant symptomatibus morbosis, quae per

intervalla in conspectum prodeunt, ut fluori albo, hysteriae, epilepsiae, diarrhoeis chronicis, cet. Si proxima abortus causa in pelvi deformi, nominatim ampliore, posita est, exorta nova conceptione animi tranquillitas maxima et corporis quies imperetur; caveatur etiam ventris pressio e. gr. adhibitis fasciis; curetur denique, ut alvus et urina citra ullam difficultatem reddantur. Rebus ita comparatis, summo cum emolumento spongia, ad stabiliendum uterum, in vaginam immittitur et abortus facile arcetur. —

VITA.

Davides Guilelmus Greuling, Rhenanus, die VIII mensis Septembr. MDCCCXXIII natus sum patre Josua Greuling, matre Eva Elisabetha e gente Kessler, quos adhuc vivos veneror atque colo. Confessioni evangelicae addictus sum. Primis litterarum elementis imbutus gymnasium Marburgense, Directore Ill. Vilmar per quinque annos et dimidium, tunc gymnasium Elberfeldense, Directore Ill. Bouterweck per annum unum frequentavi. Maturitatis testimonio instructus, paschali tempore anni MDCCCXLV Marburgum Cattorum petii, ubi a prorectore magnifico Ill. Brunone Hildebrand civium academicorum numero adscriptus sum. Ibidem per semestria quinque has scholas frequentavi:

Ill. Herold de zoologia;

Ill. Vorlaender de logice;

Ill. Wenderoth de botanice;

Ill. Gerling de physice experimentali;

Ill. Bunsen de chemia experimentali organica et anorganica;

Cel. Ludwig de osteologia, syndesmologia et physiologia;

Ill. Fiek de anatomia corporis humani, de arte cadavera secandi;

Cel. Falk de materia medica, de arte formulas medicas conscribendi, de historia medicinae;

Ill. Heusinger de pathologia tam generali quam speciali;

Ill. Zwenger de pharmacia;

Ill. Robert de chirurgia, de ophthalmologia et de arte obstetricia.

Tum auctumnali tempore anni MDCCCXLVIII ad almam litterarum universitatem Berolinensem me contuli, ubi a Rectore magnifico Ill. Joanne Mueller in civium academicorum numerum receptus per annum unum et dimidium has scholas adii.

Cel. Nicolai de politia medica et de medicina forense;

Ill. Weiss de mineralogia;

Ill. Mueller de anatomia comparata;

Exper. Traube de auscultatione et percussione;

In exercitationibus clinicis duces mihi fuere viri Illustrissimi Robert, Dieffenbach, Langenbeck, Heusinger, Schoenlein, Romberg, Busch.

Quibus omnibus viris optime de me meritis quam maximas ago gratias semperque habebo.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico nec minus examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

I.

Dispositio ad abortum negari non potest.

II.

Emeticum in angina membranacea remedium praestantissimum.

III.

Digestio gastrica chemica tantummodo actio.

IV.

Exstirpatione scirrhus non sanatur.